

sione quantum videtur homini sufficere, si tunc communicet, non peccat: immo si que alia peccata lateant, per istud Sacramentum etiam remittuntur. Quod autem suscipiens istud Sacramentum, teneatur prius confiteri, quam communicare, probat Scotus, quia non tantum debet reconciliari Deo, sed Ecclesie ad hoc quod dignè recipiat Sacramentum Ecclesiasticæ unitatis. Si autem non occurrat oportunitas confitendi: si potest sine scandalo vitare, ne tunc cōmunicet, teneatur non communicare, sed expectare Cōfessionem propter eandem rationem, quæ dicta est nunc. Si vero occurrit scandalum, nisi statim cōmunicet, ut potè si est indutus, & postquam indutus est, occurrit sibi cōscientia de peccato mortali, de quo non fuit confessus, & non habet in promptu idoneum Confessorè, tunc cū contritione, & voluntate confitendi tempore opportuno potest celebrare, ut scandalum evitetur. &c. Hæc omnia probata manent ex his, quæ dixi requiri ad Baptismum. Nam omnia cadunt sub peccato, ut tradunt Summiste, verbo Missa. §. 2. & S. Thom. 3. p. q. 60. & ibi Thomistæ, Soto in. 4. dist. 12. q. 1. Navarr. c. 25. num. 82. ¶ Item quomodo